



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 56. Ejusdem Myst punct. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO LVI.

De fugatis è Templo negotiatoribus, primâ vice. Joan. 2.

Myſt. punct 3.

CONG. Desiderium cognoscendi incredibilem
in nos amorem, ut supra.

PRÆL. I. Vendentibus columbas mansuetè inquit. *Auferte ista hinc. &c. Joan. 2.*

PRÆL. II. Inspicere in Templo officinas vendentium columbas.

PRÆL. III. Petere gratiam, ad zelum ferventem benè conciliandum, cum mansuetudine.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum, apud vendentes columbas temperato fervore zeli, magis mansuetum.

INTEL. Ex hoc exemplo discamus zelum nostrum esse dirigendum; aliquando quidem illi indulgendum, aliquando etiam temperandum, prout rerum, & personarum conditio requirit.
REFL. Examinemus, an non sit in nobis interdum zelus indiscretus.

VOL. Diffidamus nobis, & infirmitati nostræ in hoc vitio superando, nam sæpe agimur malâ passione, quando putamus nos agi zelo: sed fiduciam totam collocemus in gratiâ Dei, à quo solo oritur vera discretio spirituum. Deo possumus dicere illud Ps. 84. *Mitigasti omnem iram tuam, erga nos maximos peccatores: doce nos secundum voluntatem tuam, etiam mitigare zelum nostrum.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus his, qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Joan 2.

INTEL. Columba est signum mansuetudinis, & simplicitatis: *Simplices sicut columba.* Matth. 10. quia verò Christus tantoperè amat simplicitatem, & benignitatem: ideò verbis mitioribus agit cum vendentibus columbas, eoque jubet sua auferre, monendo illos, ne negotientur in Templo. REFL. Perpendamus, quod nos quoque debeamus imitari mansuetudinem Christi, si velimus, ut ipse quoque benigniùs nobiscum agat.

VOL. Imploremus fructus Spiritus Sancti, inter quos est *bonitas, benignitas, mansuetudo.*; itaque semper exerceamus zelum nostrum: ut semper memores simus verborum Christi: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Recordemur quod in hac primâ ejectione negotiatorum è Templo, quæ contigit sub initium prædicationis, mitius egerit, & locutus sit cum vendentibus columbas: at verò in alterâ ejectione, quæ circa finem prædicationis contigit, non diu antè mortem, duriùs egit etiam cum vendentibus columbas. Nam tunc *Cathedras vendentium columbas evertit.* Matth. 21.

INTEL. Ratiocinemur causam hujus diversi modi agendi esse, diversam dispositionem personarum.

In-

In primâ ejectione, vendentes columbas minus resistebant voluntati Christi, quàm nummularii; in secundâ verò ejectione, cum nelectâ Christi tam benignâ antè factâ monitione, etiamnum pergerent, eorum quoq; cathedras evertit. REFL. Discamus hinc veritatem Regulæ 7. hebd. 2. de disc. spirit. Quare spiritus sive bonus, sive malus, duriter soleat illabi in animos sibi contrarios.

VOL. Nos studeamus, *veri... optimique Imperatoris Christi, agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari*, nosque illi ità similes reddere, ut ipse in animam nostram, *tamquam in propriam, & apertam domum, subeat cum quiete*, juxta eandem Regulam.

COLLOQ. De duobus vexillis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO. LVII.

De Sermone Christi, habito in monte,

Matth. 5.

Myst. punct. 1.

CONG. Desiderium cognoscendi magis Christi doctrinam.

PRÆL. I. Quomodo Christus docuerit octo Beatitudines.

PRÆL. II. Aspicere montem, in quo Christus docebat.

PRÆL. III. Petere gratiam, intelligendi, & sequendi doctrinam Christi.

PUN-